



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1664**

Tractatus XI. Ostenditur vnumquemque vt suo statu contentus sit, etiam  
debere acquiescere omnibus qui praecesserunt euentibus, quibusque ad  
eum statum est perductus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13517**

## TRACTATUS XI.

Vnusquisque donum proprium habet à Deo; alius quidem sic, alius vero sic, 1. ad Cor. 7. v. 7. vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulat. v. 17.

*Ostenditur vnumquemque, vt suo statu contentus sit, etiam debere acquiescere omnibus quæ præcesserunt euentibus, quibusque ad eum statum est perductus.*

## P R O O E M I V M.

Tract. 10.



I fundamentum quod iam posui bene firmiterque fuerit collocatum, & illud quisque sibi persuaserit, statu conditioneue suâ contentum esse debere se, optimus quod sit qui sibi potuisset obtingere; præcipuam rem peregimus. Facile enim turbationem omnem sedabimus, tumultusque componemus, qui solent suboriri animo tum præterita, tum præsentia, tum etiam futura nimis anxie cogitanti. Ac primò quidem video turbari plurimos, ob ea quæ licet præterita iam sint, tamen approbare facta non possunt, optarentque proinde aliter accidisse. In duplici ea sunt differentiâ; quædam quæ circa nos sunt, extra nos tamen posita; vti parentes, natalia, amicorum mors, filiorum mores, coniugij ratio serò vel malè inita, atque his similes euentus rerum. Alia in nobis sunt, eaque innata; vt genius, ingenium, mentis perspicacia, percipiendi vis. Multam sanè turbarum hæc suppetunt materiam: displicet enim non paucis aut eos habuisse se parentes, aut nimis citò ereptos, aut alios se non esse nactos filios, aliam coniugem; ingenium item perspicacius, indolemque ad maiora natam. Hinc in alijs ea cum perspiciunt, frendent inuidiâ, &

L 1 3

tristis

tristis paulatim exedit mentem lior. Magnus hic latet scopulus. Vitandus est; & vt vitetur exponendus palam. Illud itaque propositum mihi nunc est ostendere, si verè tuo statu contentus sis, consequens id esse, vt etiam ea arrideant, quæ ad eum te statum, viuendique quam tenes rationem perduxere. Ac proinde primò omnibus quæ circa te iam præteriere euentibus; Secundo etiam internis doribus debere acquiescere; Tertio tandem, insanum id esse, alteri quoddam inuideas. Hæc inquam omnia, ex eo solum capite, quòd tuo statu contentus sis, tanquam principio deducenda & explananda sunt. Ante omnia tamen, quid status nomine veniat, & quosnam in statu esse intelligam, liquido est declarandum.

## §. I.

*Quid propriè sit status, & quomodo ad eum à Deo, & per quæ adiumenta perducamur; & quando in eo sit perseverandum. Deducitur id per aliquot casus.*

*Quid sit  
status &  
an mutari  
possit.*

ILLud tamen rectè perceperimus, suam sorte contentum viuere 1.  
debere eum, qui inter hæc vitæ miseras felicitate frui desi-  
derat, sic vt ex Apostoli consilio *Vnusquisque in quâ vocatione vo-* 1. Cor. 7  
*catus est, in hæc permaneat*: aliquod nihilominus dubium super-  
est, diffusius explicandum. Non enim istud adhuc liquido in-  
telligitur, quid status nomine veniat, aut quæ propria dicatur  
vniuscuiusq; conditio. Rursus si sua cuique sufficere debet fors,  
certè mutari non potest pro arbitrio; & quemque in eo quem  
occupat statu perseverare constanter, necesse est. Hoc si ita sit,  
nemo sanè è cælibatu ad matrimonium potest contendere, ne  
cælibatus statum mutet: imo ne Religionem quidem inire rectè  
quis possit, ne à sæculari statu, quem prius occupabat bene, in  
alium fiat mutatio. Quid, quòd ne in munijs quidem dignita-  
tibusque vlla rectè quæreretur vicissitudo? neque paupertatem  
quis cum diuitijs rectè commutauerit, neque ignobili loco na-  
tus ad illustria adhiberi, neque propola mercatorem agere, ne-  
que causidicus ad Iudicis splendorem euehi à quoquam possit;  
imò ne æger quidem valetudinem exoptare, ne statum mutet is,  
qui

qui suâ forte contentus debet viuere. Huic obiectioni quæ sanè præclara est, remque omnem exponi sibi postulat, plenè suo loco satisfaciam. Id nunc agamus, exponamusque quid status nomine intelligatur.

Tract 14.

2. Statum itaque duplicem esse dico; & primum quidem voco *Rationabilem viuendi rationem & methodum, à quâ sine peccato & scelere non licet discedere.* Et hic quidem status est firmissimus. Alter est *Rationabilis viuendi ratio, à quâ licet sine peccato detur recedere, non tamen sine grauissimo incommodo, præterque rationem iubeundo.* Vtrumque, si placet exponamus.

Duplex  
genus  
status.

3. Primò igitur, quicumque Matrimonio constricti sunt, aut se Deo per Vota Castitatis, aut etiam Sacramento operam suam Regi Reipublicæque deuinxerunt, quamdiu voto Sacramentoque tenentur, eos ego in statu esse intelligo; cum constare sibi voluntas debeat, neque eam suo arbitrio quisquam possit, in his casibus, nisi contra fas sceleratè retractare. Matrimonium autem, status omnium firmissimus est; si quidem fidem datam dissoluendi, nulla inter homines est potestas legitima, aut auctoritas. Cælibatus itaque hac ratione consideratus, status non est; si quidem voluntatem suam, viuendique propositum quod tenent modò, sine vllò scelere vlliusque iniuriâ possunt deponere, aliudque velle quàm velint modò.

Primus, à  
quo sine  
scelere non  
licet recedere.

4. Iam verò, si in statu eiusmodi nunc es, eumque sine vllò pro-  
fus scelere es consecutus; illud certò tecum statue, adminicula omnia quæ huic statui tibi procurando intercessere, à Deo sic studio fuisse disposita, vt tandem in eo, in quo nunc es, statu collocaret. Magni plane momenti est hæc assertio, Auditores, beneque expendenda, vt multorum anxietatibus fiat satis. Plurimi enim sunt, quos non parum ea vexat cura, an verè ea viuendi quam tenent ratio, status is sit, quem sibi saluti procurandæ designauit Deus. Nescio enim inquiunt, quò pacto matrimonium inierim, aut Deo vota conceperim. Vix agnoscebam quid agerem in tenerâ adhuc, aut adolescentiæ ætate constitutus; parentum intercessit reuerentia, amicorum mihi aut sibi consulentium ingesta rationes; nescio sanè an ex Dei mente & sententiâ. Verùm, vt motus hos omnes componam & sedem, antequam in animo maior tempestas, vt sæpè fit, ex his nubibus oriatur,

Ad hunc  
aliquando  
sine scelere  
quidem, sed  
tamen per  
meras hu-  
manas ra-  
tiones &  
adminicu-  
la perueni-  
tur.

Constanter

Nihilomi-  
nus dico eam  
vocationem  
à Deo esse.

Probatur  
in vocatio-  
ne Saulis  
ad regnum.

Et matri-  
moni-  
um I-  
saaci &  
Rebecca.

Constanter assero, quòd quamvis non exactè aut Matrimo-  
nij aut Castitatis deuotæ onera perceperis; quamvis etiam pro  
aliorum arbitratu aut consilio (à quo tamen omne scelus abfuit)  
mentem tuam isti, quem tenes, statui adieceris; tamen id nullo  
modo casu factum, verùm ea omnia destinato consilio sic Deum  
disposuisse, vt tandem in eam te viuendi induceret rationem,  
quam tibi optimam futuram iudicabat. Rem quæso mecum,  
paucis exemplis proponendam, expendite.

Quis non mero casu accidisse credat, vt asinæ Cis (Saulis is  
erat pater) nescio quo æstro abreptæ, in deuios montes syluaf-  
que aufugerent, vti sacræ narrant paginæ? & tamen fugam illam  
ita disposuit Deus, vt Saul quærendis iumentis à patre missus,  
ad Samuelem tanquam ad Vatem, asinarumque perditarum  
futurum indicem conuolaret; quærebat asinas Saul, eoque consi-  
lio Vatem dum consulit, Deus hunc, ad Samuelem, Saulis ac-  
cessum ita digesserat, vt clam omnibus in Regem à Samuele  
inungeretur nihil horum præsciens Saul. Nihil hâc re manife-  
stius; Deus enim cuncta Samueli euentura prædixerat. *Dominus  
autem reuelauerat auriculam Samuelis, ante vnâ diem quàm ve-  
nisset Saul, dicens: hâc ipsâ horâ que nunc est, cras mittam virum  
ad te de terrâ Benjamin, & unges eum duce[m] super populum meum  
Israël.* Quid clarius? ire ad Samuelem suâ sponte cum se putat  
Saul, à Deo mittitur, & ignorans paret. At quâ voce se Saulem  
mittere indicauit Deus? non aliâ quàm asinarum fugâ, patrif-  
que Saulem ad conquirendas asinas mittentis imperiò. En vt  
quem casum diceres, consilium sit ad regium statum, Saulem  
euocantis Dei.

Rursus nemo non, si quæ gesta sunt solummodò spectet, ca-  
sum ita tulisse arbitrabitur, vt Abraham æconomus in Mesopo-  
tamiam ablegatus, Isaac uxorem selecturus, de viâ iam oppi-  
dò lassus, secus puteum cum camelis multo labore æstuque fati-  
gatis, corpus iumenta que curaturus, confederit: casus videtur  
quod nulla ad manum esset vrna, hauriendæ, quæ nimirum de-  
pressa erat, aquæ necessaria: casum dicas, quod Rebecca gene-  
re quamvis facie que conspicua, prout tunc ferebat candidior &  
simplicior ætas, aquam domesticis vsibus delatura, è ciuitate  
propinquâ, alijs iuncta virginibus puteum hunc adiret: casum  
dicas, quod æconomus vrnâ petenti, vt sitim extingueret, Re-  
becca

5.

6.  
1. Reg. 9.7.  
Gen. 24.

becca vti inter alias formosissima, ita omnium humanissima, non tantum bibituro aquam propinarit, sed & liberalissime canales omnes, camelis adaquandis, non tamen sine labore repleuerit. Casum hæc ita tulisse credes tu, & tamen vrbalitas illa virginis, indicium fuit à Deo datum œconomò, quo profus intelligeret, illam & non aliam Isaaco coniugem, tanti generis futuram matrem, à Deo destinari.

8. Ita fit quotidie. casu videntur coire Matrimonia. Conspiciunt se duo aut in conuiuio aut etiam in plateâ, quorum alter alteri ne in mentem quidem venit vquam: aut pater, iuuenis cuiusdam moribus & industriâ oblectatus, eum filia suæ futurum coniugem, oculis menteque designat: virgini rem proponit: assentitur demum illa paternæ reuerentiæ gratiâ, vt quem credit, non nisi bene sibi velle & consulere: interim quid secum ferant Matrimonij leges, vt virginem pudicam decet, satis ignara. Rursus, aut alieno amici exemplo, aut concionantis permotus voce, aut aliâ inductus ratione etiam humanâ, nec è diuinis petitaribus, castitatem Deo quis deuouet, aut Religionis sese legibus obstringit. Casum hic intercessisse dicat qui volet; ego verò assero conspectum illum quem tu fortuitum credis, patris erga iuuenem benevolentiam, filia erga patrem reuerentiam, Matrimonialium legum rudem scientiam, & fere ignorantiam, circumstantias denique omnes quæ Matrimonio dedere causam, siquidem innocentes sunt nulloque imbutæ crimine, non casu euénisse; sed disertè expresseque à Deo sic dispositas constitutasque, vt futuris coniugibus hunc statum daret.

*Applicatur  
id Matrimo-  
nium &  
vocationi-  
bus ad Re-  
ligionem,  
quæ casu  
videntur  
fieri.*

9. Idem sanè eodemque iure affirmo, de paupertate, de corporis imbecillitate, aliisque, vt videntur, casibus, qui statui capessendo, causam præbent. Matrimonio iungeris, quod dos tibi desit adeundo cœnobio necessaria, aut quod corporis inualetudine secundum leges excludaris. Tu verò in Religionis claustra te abdis, aut quod forma, nescio quo morbo aut etiam ætate perditam cum esset, aut quod infamia iniusta familia omnes à te auerteret, nemoque te in coniugium dignum te, dignaretur asciscere. Hæc si tu casu obtigisse existimas, erras sanè quàm grauissime. Hæc omnia efficaci planè voluntate disposuit Deus, dotem denegauit, valetudinem corporis abstulit, vultus amænitate decoremque deformauit, vt in eum te statum, tibi quem vi-

*Circūstan-  
tias omnes  
tali casu,  
voluit ex-  
presse Deus,  
& per eate  
ad illi sta-  
tum voca-  
uit.*

derat conuenientissimum, quasi manu duceret, in eoque collocaret. Neque hâc in parte cuiquam potest esse dubium, cum illud sit certissimum, eum qui finem vult consequi, etiam ea velle adiumenta quæ fini assequendo conducunt. iam verò uti præcedenti Tractatu demonstrauius, Deum scimus statuum quotquot sunt omnium auctorem, & ab eo esse, cuius conditionis quisque sit: fateamur ergo, & ab ipso esse adminicula quæcumque & adiumenta, modò crimen absit, quibus ad eum statum aliquando tandem est peruentum.

Tract. 10.

*Circumstantias vero peccaminis permittit atque direxit.*

Quid verò, si circumstantiis illis immixta sunt scelera, inquires? certum est enim, & verò etiam deplorandum, plurima committi peccata, quæ causam futuro matrimonio dent sæpissime, inò & necessitate extorqueant. An hæc etiam voluit Deus, matrimonium, ut induceret? Minimè gentium; peccata numquam voluit; sed ne libertati humanæ obicem poneret, ea permittit tacitus; cumque te viæ tam distortæ, sceleribus inquam impudicitisque videret insistere; his tanquam adminiculis usus est, ut per ea ad meliorem frugem te conuerteret; in eoque statu collocaret, quem tibi in illis circumstantiis constituto, vitiiisque forte nimium deprauato, optimum commodissimumque salutis parandæ iudicabat.

10.

*Deus vult ut in statu illo indissolubili ad quem per peccata perueneris, perseueres: eoque contentus sis, ac si absque peccato eum fuisses consecutus.*

Iam verò, cum in eo verferis statu, ad quem licet per scelera deueneris, tamen è quo iam sine nouo scelere extricari non potes; mens Dei est firmaque sententia, in eo ut constanter perseueres: ad quem licet noluerit te per scelera viam facere, tamen res acta cum iam sit, nec sine crimine dissolui possit, id etiam planè vult (quod sedulo animaduertendum est) ut eadem prorsus ratione, eò statu quem tibi crimina pepererunt, contentus iam sis, nec minùs ille tibi arrideat, quam si innocenter & sine vlllo peccato, eundem aduisses. Perseuerare quòd te velit, manifestum est. Nulla enim scelera cum velit Deus, certè non vult rescindi à te, quod sine crimine non potest violari. Arridere verò tibi quod velit, id quod ipsi iam arridet, nemo mirabitur, qui nostram in eo perfectionem positam esse intelligit, ut affectionum nostrarum Diuina voluntas sit prototypon & exemplar, extypon vero nostra: hoc est ut planius loquar, ut velimus quod vult Deus, delectetque quod Deum delectat. illi autem licet via ineundi matrimonij non placuerit, placet tamen eò tandem

11.

1270b

m m

dem

dem te peruenisse: Atque hæc de primo status genere.

12. De secundò vt pauca dicamus, illum aio in statu etiam esse ex mente designationeque Dei, qui aliquam vitæ rationem iniit, ex quâ non nisi per adiumenta præter ordinem communem danda, aut certe non nisi per multa incommoda laboresque datur euadere; quos quidem adhibere, nulla aut non magna exigat ratio aut necessitas. Hæc ratione plebeium hominem, in opificis statu à Deo collocatum esse assero. nam licet contingere planè posset, in Senatorem, Militiæue principem vt euaderet, si studiis opificinâ desertâ sese immergeret, aut Martis signa secururus militiæ nomen daret; tamen quod præter ordinem communem sit, eiusmodi homines magna agere vt ad magna euahantur; rursus quod nimio staret labore hebetem sese hominem studiis dare, impensas item victui necessarias conquirere; & denique quia nulla singularis, ad tanta incommoda sustinenda, vrget ratio; statum ego eiusmodi opificem, à Deo sibi destinatum habere prorsus iudico.

*In secundo  
genere sta-  
tus, vult  
etiam ordi-  
nari Deus  
vt perse-  
neret.*

13. Atque adeo, licet se ad studia impelli nonnumquam sentiat, desiderijsque vrgeri vt litteris instructus, Diuino sese cultui, proximorumque salutis impendat; sciat nihilominus, id præter Dei mentem esse, si quidquam mutationis rebus suis afferat. Quin imò, nisi manifesta admodum sit claraque Dei vocantis reuelatio, qualem è militiâ ad sua castra vt transferret, S. Ignatio exhibuit Deus, technis diabolicis eiusmodi desideria quantumuis sancta & pia irretiri, quisque sibi habeat persuasissimum. contra mentem enim Dei agere cum vis, è Dæmonis mente ageris, & agis. Dei autem mentem ex circumstantiis liquidò cognosces: quæ quia sunt eiusmodi, vt non nisi per adiumenta maxima, præterque communem ordinem conquirenda possunt superari; manifestum est eas Deum superari nolle, qui communem rerum ordinem & præstat & sequitur; nisi aliud fortè reuelarit. reuelatum verò sibi quid, quod præter communem est seriem, nemo persuadeat, nisi magnis auctoribus grauissimisque in consilium adhibitis viris, liquidissimè teneatur res.

*Dæmonis  
techna sūt,  
eiusmodi  
homines ad  
statū mu-  
tandū per-  
mouere.*

14. Circumstantiæ verò quibus statum cuique suum sigillatim Deus determinat, sunt ipsa corporis constitutio, vires, valetudō, ætas; item animi dotes, parentum conditio, opes, amicorum potentia, aut etiam indigentia: denique longum esset re-

*Suo semper  
acquiesscē-  
dum est,  
tanquam  
sibi à Deo  
designato.*



ferre omnia. Ex harum circumstantiarum positione, non ineptè conijcies, an ille quem sentis ad statum assumendam imperus feruorque animi, à Deo, voluntatem suam indicante, immittantur; an verò à dæmone mentisque inconstantiâ, vt vulgo fit, ortum sumant. Nam si non es eâ corporis habitudine, vt labores statûs, quem tibi vt sanctum imaginariis, perferas; si opes defint vt necessaria statui acquirendo fiant impendia; si parentibus curandis obstrictus, aut alijs es obligatus, quibus in eo quem appetis statu constitutus, satisfacere non possis, cum tamen si non omnino, aliquoufque tamen debeas; quis id dubitet, Dei eam mentem esse, quam tibi tam claræ circumstantiæ eloquuntur, vt ita dicam, & manifestant. Quòd si igitur mærore conficeris, eo quòd ad opratum tibi statum peruenire non detur, certè iam mæstus es, voluntas Dei cursum suum quòd teneat, illique quòd nequeas intercedere; quòd quàm abs re sit, nimis est euidentis, quàm vt pluribus exponam.

*Resoluitur  
casus par-  
ticularis,  
sed tamen  
notandus.*

Illud tamen non pigebit dicere, non paucis magno futurum vsui & leuamento; quòd si circumstantijs quibusdam positis, statum aliquem viuendique rationem assumpseris, qui tamen absque scelere mutari potest; varienturque deinceps circumstantiæ, quibus in eum statum es inductus; non illico mutandum statum, etiamsi alium mentè tibi præfixum aliquando habueris. Veluti, si quis ad Religionem sese impelli sentiat, nihilominus parentum, ætate grandium pietate ductus & obstrictus, Ecclesiasticum statum & dignitatem assumit, parentumque consulit egestati; is sanè illis iam morte extinctis statum mutare non debet, Religionique se addicere. Primæ enim circumstantiæ rem omnem, quæ in medio posita, videbatur dubia, determinarunt; edixeruntq; quam vitæ conditionem tibi destinasset Deus; quam tibi iam deponere liberum vt sit, non tamen est commodum, neque vlla procurandæ salutis vrget ratio. Atque hæc quidem de ordinariâ Dei ad statum vocatione intelligenda sunt.

15.

s. II.

## S. II.

*Qui suo statu contentus est, etiam illum adiumentis omnibus euentibusque qui extrinsecus eum ad hunc statum perduxerunt, contentum esse necesse est.*

16. **A**Tque hinc præclarissima elicitur doctrina, quâ plurimos animi angores perturbationesque, si rectè percipiatur, facillè componemus. Et hæc in eo est posita, vt si statui tuo acquiescas, acquiescas illico etiam omnibus quæ ad eum te statum perduxerunt. *Varia sunt per quæ nos Deus in statu nobis conueniente collocat.* Varia ea sunt; ac primùm quidem extrinsecus aduentientia quædam, vt nascendi conditio, parentum mores, educationis genus, ad studia diuersa applicatio conueniens, & his similia. Alia sunt ab ipsomet homine; corporis compositio, animi vigor, ingenij acumen, dijudicandi prudentia, memoria, genus, lepor, cæteræque animi affectiones, in singulis semper aliæ atque aliæ. Alia denique supernaturalia sunt dona gratiæ, orationis, lachrymarum, miraculorum nonnumquam etiam, Prophetiæ, raptuum & extaseon. Hæc autem omnia & singula, ea esse dico, pro quibus primò summæ agendæ sunt Deo gratiæ tanquam omnium auctori bonorum, si affuerint; sic tamen secundò, vt si absint, non multum angaris aut labores; neque demum tertio cuiquam vt inuideas & succenseas, quem videris hisce dotibus longè præ te luculentius abundare. O quantâ tranquillitate fruemur, quotque tempestates animi commotionesque dabitur euadere, hoc si documentum altè infigamus animo! quod quidem ex eis quæ iam diximus, facillè erit comprehendere.

17. Murmuramus enim nonnumquam, conquerimurque, exempli gratiâ, (vt ex vno discamus de omnibus ferre iudicium) de natiuitate nostrâ nascendiuæ infelicitate; eos scilicet obtigisse nobis parentes, qui si alij fuissent, alios profectò viros futuros nos; alia enim præ oculis exempla habituros, educationem aliam: eos fuisse, qui bona omnia abligurirent, neque quid filij agerent, quibusue applicarent animum studijs, multum pensi habuisse; vili opificio applicuisse te, idiotæ cum essent ipsi, neque

que præclari quidquam tibi instillasse, aut ad maiora fecisse animos, quos tamen habere videris tibi ad non parua natos, nisi cultura defuisset. Infinita sunt eiusmodi, quæ nobis præterita attendentibus, non rectè euenisse videntur; meliusque futurum nobis iudicamus, aliter si accidissent res. Alijs enim paterna mors intempestiua fuit; vt qui iam maioribus dignitatibus proximè admouendus, filiorum rationibus longè meliùs erat consulturus: alijs fera nimis accidit; vt qui rerum suarum decoctor nimius, aut qui longiorem vitam trahens spem tibi matrimonij splendidissimi olim, auaritiâ suâ intercluserit. Huius farinae, infinitæ sunt querimoniæ.

*Sed inu-  
itè.*

Verùm vt hæc componam verbo vno, animum arrige. An illud rectè percepisti, quod præcedenti fermocinatione exegimus, tuum quo nunc frueris statum, optimum tibi esse, & vt talem, præ alijs infinitis, à Deo assignatum? Hoc si animo tuo persuaseris acquiescasque, cur non approbas etiam ea, quæ sapientissima Mens, ad eum vt te statum leni manu conduceret, adhibuit adiumenta? Plebeius enim cùm iam sis, statuerat iam id certè ab ipsâ æternitate Deus, eum statum honori suo promouendo, imo & tuæ saluti fore conducibiliorem. Decretum verò vt exequatur, de pauperibus tibi humilibusque parentibus prospexit Deus. Casum hunc fuisse putas? imo verò sapientiæ maximæ, tibi que summopere consulentis, decretum id fuit. Si quidem si è nobili stemmate clarisque parentibus ortum duxisses, quâ tandem ratione ad Plebeium statum, quem tibi Deus necessarium iudicabat, fuisses detrudendus? quantæ & quot reuolutiones fortunæ implicare te, non sine summo tuo incommodo debuissent, vt ad tam humilem deuoluereris conditionem? Omnibus his malis vt occurrat Deus, ab ipso exordio ita rem disposuit, vt per solos parentes esses, id quod summo molimine esse nihilominus debebas postea. Imo si rectè tecum reputas, summum beneficium tibi Deus præstitit, pares futuræ vitæ, hoc est humiles tibi quod voluerit esse natales; intolerabilior enim fuisset hæc sortis vicissitudo, animum ad delicias factum, manusque otio assuetas, laboribus deinceps applicare; quod tamen modò, paterno inductus exemplo, & operi ab ipsâ iam inde pueritiâ innutritus, exequeris non grauatè imo & hilarè.

*Si placet ti-  
bi finis pla-*

At verò inquires, studijs vitam impendissem, aut militiæ adiecissem

18.

Tract. 10.

19.

cissem animum, & aliquam viuendi rationem inuenissem meliorem meâ, commodioremque rebus meis. Quæso ne iam disceptemus quod præcedenti Tractatu peregrimus: neque mihi posthæc oggeras, meliorem tibi statum dari potuisse. Commodior fortasse inueniri potuit, & vt vulgus loquitur fortunatior, at melior, id quidem pernego. Studijs enim aut militiâ, æternam animæ tuæ damnationem consciuisses, aut certè non ad eum virtutis gratiæque apicem ascendisses: neque hoc reuocemus in dubium, quod prudenti trutinâ examinasse, & demum statuisse Deum, iam concessimus, plebeium nempe esse debuissè te. Hoc autem si ita est, tum certè plebeius vt esses, conuenientissimè plebeis rudibusque parentibus natum te esse vt confitearis necesse est: alius esse si debuisses, de alijs longè natalibus tibi prospecturus erat Deus. Quid ergo obmurmuras malefane, quid conquereris? Age quin imò gratias, quantum potes, maximas Conditori tuo, de parentum ignobilitate & ignauia, omniaque quòd tam sapienter & sine tuâ molestiâ aut incommodo digesserit. Denique plebeius esse cum debebas, nonne id longè conuenientiùs, vt ne primis quidem labris studia, vel militiæ aulæue artes degustaueris, vt totâ animi propensione, in eam cui incumbis artem ferare, statusque tui munia gnauiter obeas & studiosè? Quin igitur acquiescimus euentibus illis, quorum finem approbamus?

20. Quæ verò de opifice & plebeio dicta sunt, hæc alijs quibuscumque euentibus applicate; infirmitati nimirum corporis, vultus deformitati, fortunarum euerfioni, amicorum occasui, cæterisque quæ referre longum sit. Vt verò applicetis rectè, primum illud, tanquam basim firmissimam statuere, vestrum vobis statum, & quidem solum illum, maximè conuenire; & illico rebus omnibus quæ tibi hæctenus euenerunt, tanquam adminiculis statui tuo procurandò necessarijs, acquiesces. Huic cogitationi aliquando per otium insiste; & summo animi gaudio ea te afficient, quæ olim cum acciderent summo opere affligebant; affligebaris autem Dei artes *adinuentionesque* quòd non caperes. Cepit eas diuinus Psalter, nam ijs meditandis adtecit animum, Et meditabor, inquit, *in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.* Et quod tandem omnibus rite pertractatis fert iudicium? *Deus; in sancto via tua. Quis Deus magnus sicut Deus.*

ceant & media necesse est.

Agnosces id, si adinuentiones Dei in te ad statum tuum ordinando attendenda.

*Deus noster? Tu es Deus qui facis mirabilia. Notam fecisti in populis virtutem tuam.*

*Id iucundissimè facies, si in statu amplo & felici te collocatum videas.*

21. Quid enim? adinventiones eas scire desideras? Status certè si fortunatus tibi modò sit; si domus bene composita, opes honestæ, vxor placida & commoda, animo denique corporique si sit benè; hæc inquam vitæ ratio quam iam instituis si arridet; mente totam vitæ tuæ seriem meditatio pertexe, idque tecum expende, quæ tandem non præcesserint, qui casus, quæ rerum reuolutiones non obtigerint, antequam ea tibi conditio obueniret: quos parentes nactus fueris; quâ illi fortunâ iactati locum patriamue mutarint, vt ambo in manus conuenirent; quò modò mortui & quò tempore; quò pacto eorum aut mors aut vita, rebus tuis obfuerit profueritue: quò pacto inuidia tibi amicos pepererit, idque res tuas extulerit, deprimere eas quòd vellet infestus quis; istud tibi ad honores viam vt patefecerit, officere quod videbatur maximè, tibi que Dauidis sortem obtigisse, cui Saulis iræ, & inuidiæ innatus dolor, ad Regni fastigium gradus fuit. Hæc inquam sedulò expende, omnemque vitæ transactæ decursum mente relege; & illud liquidò & summâ animi cum delectatione comperies, *adinventiones* præclarissimas fuisse, & quasi vitæ compendia, quæ ad statum, qui tibi tantopere arridet, tandem aliquando deducerent.

*Aliter iudicamus quâdo statum est humior.*

22. At verò non ita te dimitto vir fortunatissime. Aliud habeo quod suggeram. Audi. Enimuero, idcirco quia nunc ad votum fluunt omnia, quia tua tibi arridet conditio, *adinventiones* Dei agnoscis, & verò etiam placent. Iam certè haud grauè gratias ages Deo, iis ortus quòd sis parentibus, sine quorum adminiculo neutiquam quod es fores: iam obitum aut patris aut amici & propinqui iudicas oportunissimum fuisse rebus tuis, hæreditati que tunc capiendæ, cum matrimonio ineundo id maximè conducebat: iam gaudes fortunam illam tibi tam aduersam obtigisse, maleuolas inuidorum linguas te tuaque admordisse, quæ tibi maioris nominis acquirendi prima fuit occasio: iam denique probas omnia, quæ te ad hunc statum deuexere: iam Dei machinationes consiliaque laudas, quæ tamen non exiguam dedere & dolendi & conquerendi materiam, cum Dei artem non perpenderes, neque quò hæc vergerent, satis intelligeres. Numquid ita se res habet? ita planissimè. Ideo nempe iam placet

Tertul. in  
Apolog.

cet Deus; quia placet quod dedit Deus: ideo iam placent viae & adminicula, quia placet finis: alioquin vt rectè Tertullianus, *si Deus homini non placuerit, Deus non erit;* ita inter mortales agitur. Optimè de diuinis rebus iudicamus cum nobis bene est, nam *apud vos, inquit Tertullianus, humano arbitratu diuinitas pensatur.*

23. Verùm age, iudicio te tuo, quod modò rectè tulisti teneo; praximque quam omni conditioni applices, expedio. Eodem certè modo quò de statu qui aridet, de quocumque alio philosophare, & rem confecimus. Id certò tecum statue, non amplum & potentem, non commodum & laboris expertem, sed pauperem, sed plebeium, sed labori obnoxium, sed otij omnis deliciarumque expertem, sed quemcumque demum qui tibi obrigit, tuum esse statum tibi que competentem: statimque illud penitus perspicies, omnia quæ te circumstetere aut bona aut mala, aut læta aut tristia, viam strauisse, quâ ad hunc quem obtines statum deuenires. Itaque si finis placet, tuaque tibi sufficit aridetque qualiscumque sit conditio, gaudebis confestim parentes tibi puero quòd erepti sint, egeni quòd fuerint & ignobiles, fortunâ aduersâ quòd deiecti sint; gratiasque quinimo ages Deo, quòd nec opulentus fueris puer, nec studiis applicitus, nec generosiori admotus educationi, imò quod scientiarum omnium hebes sis modò. An hæc, inquires, gratiarum agendarum est materia? maxima enimvero; nisi fortè ne de statu quidem vniuerso, vllas tibi gratias Deo referendas esse existimas.

24. Demonstratio sanè hæc mihi quidem videtur euidens, cuique opponi admodum nihil possit. Quòd si statum hunc meum mihi optimum esse iudico (iudicare sanè quod debeo) certè & illam tempestatem, & illam iniuriam & illam amici parentisue mortem, æquè ac pari ratione arbitrari debeo mihi conuenire (licet exiguæ humilisque conditionis meæ fuerit origo) ac is illa sibi arbitratur conuenire qui per ea ipsa aut etiã alia adminicula, ad amplissimam fortunam est euectus; rectè quidem iudicare si volumus. Verùm id semper malum est, quòd iudicium quantumcumque sanum insanus plerumque interpellet affectus.

25. Hanc verò cogitationem, Auditores, ad omnia quæ vobis extrinsecus obueniunt animumque perturbant, magno animi emolumento poteritis extendere. Quidquid enim accidet, scito-

N n

Verùm idè  
iudiciũ de  
adiuuentio-  
nibus Dei,  
omni sta-  
tui conue-  
nit.

Et applicã-  
dum omni-  
bus euenti-  
bus extrin-  
secus ad-  
te ueniẽtibus.

te id à Deo vobis immitti, aut ad continendos vos in eo quem obtinetis statu, quemque perperam forte vultis extendere, aut etiam vt te à pristino, quem tibi obfuturum posthac videt, dimoueat & deiciat; aut denique, si id è suâ gloriâ futurum est, vt hunc quem geris statum amplius leuehat & extollat. Externa omnia, Dei instrumenta sunt, quibus pro sua Prouidentia vtitur industriè; circumstantiasque omnes ita attemperat, vt finem suum absque vllò aberrandi periculo consequatur. Finis autem ille, semper est bonum tuum: siquidem illud Augustini est verissimum, *Nihil tibi euenire permittet, nisi quod tibi profit etiam si nescias*; si nempe *utilissimi Domini te seruum profiteare*. Itaque cum abeuntem à te fortunam videris, cum maritum spem tuam demeti, cum amicos diffluere, emori; immoto id conspicies vultu; si statum tuum per hæc immutantem Deum aspexeris. Neque iam rebus hominibusue succensebis, quos statûs non amplius posthac tibi conducturi, & in alium melioremque conuertendi, noueris esse instrumenta.

Aug. in 6  
in fine.

§. III.

*Qui suo statu contentus est, etiam internis quas habet animi dotibus contentus esse sit necesse est.*

*Etiã suis  
quisque a-  
nimi doti-  
bus debet  
esse conten-  
tus.*

VERùm ad alios adhuc sedandos motus, vt cœpit, decurrat oratio. Cùm enim hominis efformando statui, non externis tantum adminiculis vtatur Deus, sed internâ etiam hominis constitutione, vt probauimus; quæ quidem in animi dotibus, ingenio videlicet, retinendi & imaginandi potentia, indole, genio, affectionumque bonâ difficiliue temperie, maximè est posita, illud iam agendum est, & ex iis quæ iam dicta sunt conficiendum, vt suo quisque ingenio aut hebetudini, iudicandi acuminis aut tarditati, imaginationis vi aut impotentia, bene vel malè attemperato cerebro, quin & omnibus tum à natura, tum à gratia collatis donis penitus acquiescat, nec ad alia multum sollicitèue suspiret.

26.

Tract. 8.

*Quamquam  
plerique  
mortales*

An ergo de ingenio, inquires, iudicium sui improbitate quicquam est querulus, an alicui non ad abundantiam admensus est

27.

est Deus ? mihi certè videor ingenij habere fatis, nec habeo hanc <sup>suo ingenio</sup> in parte quod conquerar. Gratiar certè oppido maximas, aliquid <sup>& iudicio</sup> saltem bene fecisse Deum quod existimas. Neque ego, vt fatear <sup>tanquam</sup> quod res est, multas aut graues de hanc re querelas inaudij. Nil <sup>optimo, fa-</sup> hil sanè felicius magisque ad hominis gustum distribuit Deus, <sup>cile acqui-</sup> quam duo quæ sunt præstantissima, Ingenium & Iudicium; & <sup>escant, om-</sup> inter fæminas tertium fortasse, formam & speciem. Sed de cor- <sup>nibusque</sup> poris dotibus nunc non ago. Nemo fere vnus est, qui quidquam <sup>preferant.</sup> sibi aut ingenij aut iudicij abesse fatebitur, nemo non dicet eas dotes suppetere sibi affatim, nemo sibi hanc in materiâ non gratulatur. Quid, quod non pauci sibi abblandiantur adeo, vt neminem, aut certè rarum esse autument, qui sibi aut ingenio, aut discernendi acumine possit comparari. Hinc sanè iudicij nostri peruicacia; nolumus enim id, quod iudicamus esse præstantius, exiliori subiicere; nullius autem iudicium præ nostro nobis placeat: hinc etiam ortum habet vsitata passim illa omnibus obtrectandi detrahendique libido. Videas enim eiusmodi ingenia, quæ nullum in Republicâ ingenium bonum esse patiantur, ne suo videlicet quidquam existimationis decedat, omnes ignaros appellant, omnes hebetes, omnes rerum incios, nec eo esse ingenio, res magnas comprehendere qui valeant, nisi tardè & tenuiter. De se verò quis id dicet? inter viros id raro audies: inter fæminas id quidem vsitatissimum est, ingenio se non valere quod dictitent, præsertim vbi grauiora incumbunt negotia: & quidem facile ipsis credi posset. Verum hoc habet facilitas illa incommodi, quod credi sibi tam facile, in re grauiissimâ homines passim indignentur. Raro enim sese hebetes, sese ignorantes, sese ingenio exiguo esse dicunt, nisi vt laudentur: aut saltem hæc sibi ornamenta verbis tantum detrahunt, fide datâ clanculum & acceptâ, sibi minime esse credendum. Quod sanè patet; non enim credunt ipsimet sibi, quod rursus manifestum est; nam si alius hoc ipsis enuntiet, irascuntur illico, falsumque esse clamitabunt quod obicitur. Tamen id quod verum est semper est verum, quocumque demum edicatur ore, nec interest maris sit an fæminæ.

28. Iam verò de iudiciorum tam bonâ distributione quid dicam? certè nemo conqueritur de suo, nemo illud vellet alieno commutare; adeo suo contentus est quisque, vt suum cuius etiam

*Sed hoc superbia est, paruique iudicij indicium.*



præferat quantumvis magno, modò alienum sit. Illud mihi sapius cogitanti, qui tandem id fiat, vt hominibus, qui de nullâ non re conqueruntur, in hâc parte à Deo tam præclarè sit factum satis, ea tandem duplici ex capite occurrit ratio: Superbia, inquam, ingenita mortalibus; quâ sit vt quisque ea parte qua maximè homo est, maximè etiam velit esse spectabilis: Hebetudo deinde, cæcitas mentis, seu ingenij stupiditas; quæ in eiusmodi hominibus passim tanta est, vt satis ingenij perspicacitatisque iis non sit, aliena vt ingenia queant perspicere, & de illis iudicium suum ferre. Verùm id modò non ago.

Tantum quibusdam modestè frugaliterque de se sentientibus satisfaciendum mihi est, qui quod res est satis perspiciunt; non admodum præclaris nempe sese dotibus exornatos, non eâ esse perspicacitate ingenij quâ pollent plurimi, nec cæteris tum naturæ tum gratiæ dotibus, nisi leuiter admodum, si alijs comparentur, instructos. Et quamuis hoc de se posse iudicare, sit bonæ mentis deicæcatique iudicij ingens indicium, quò acuti perspicacesque homines destituuntur sapissimè; tamen anguntur non rarò, Dæmoneque materiam suggerente, conqueruntur secum taciti, rationemque exquirunt, cur non eo quò alij non pauci polleant ingenio, cur non ad litteras reconditiores capessendas æquè ac illi idonei? videas sanè, inquirunt, quosdam scire omnia, me verò fere nihil; alijs magnâ eloquentiâ verborumque illecebris sua diuenditantibus, ego instar piscis obmutesco, nè incertiam malè dum loquor, peius prodam: quin imò si de rebus diuinis sermo intercurrerit, alta sapiunt alij, eaque proferunt de sacris mysterijs cælestique gloriâ, quasi si cum D. Paulo tertij vt minimum, cæli adita penetrassent; ego interim in terris repo. Denique, alios video tantos à Deo fauores consequi, tantâ perfundi gratiâ, vt toti in Deum abrepti, suauissima inter suspiria gemitusque, orationi diuturnæ insistant; vbi ego præ mentis imbecillitate, ne salutationem quidem Angelicam, sine maximis euagationibus animi queo recitare. Nullus sum ego, nullius frugi, nullius pretij, aut rei. Ain verò, nullius frugi? id certè non arridet; corrigendus es, id si ita sit. Verùm an non id perspicis, ea quæ attulisti, adiaphora esse pleraque, id est, neque mala neque bona? Erras enim verò, erras grauissimè: & vt iudicio valeas optimo, perperam tamen modò iudicas. Ah Auditores, si salutis

salutis nostræ negotium ingenio perageretur & sciendi peritiâ; quàm rectè conquereremur, ingenio scientiâque nos destitui! si voce & præclare loquendo, dicendique volubilitate & eloquentiâ, æterna salus comparari posset; quàm multi cælestem gloriam obtinerent modò, quibus minimè profuit eloquentes fuisse & disertos!

30. Verùm vt scrupulos hos omnino complanem aut eximam: an non id, ex ijs quæ modò dicta sunt, clarè perspicis, illas naturæ dotes, ingenium tardum aut ad percipiendum facile, ratiocionandi industriam, eloquendi leporem & elegantiam, imo & è cælo immissos præter ordinem nonnumquam rauores, aut etiam præter morem communem denegatos, vias esse quibus à Deo ad statum tibi proprium deduceres; instrumenta denique esse & adiumenta quæ Deus cuihbet in manus dat, statui suo benè debiteque procurando? Illud enim iam liquidò demonstrauimus, quod pro futurâ conditione vitæ, variâs varijs hominibus affectiones, propensionesque in diuersa studia, diuersas admodùm indiderit, ingeniumque futuris statibus attemperarit. Nihilominus de tuo ingenio tu conquereris. An ergo diuinum tibi vis ingenium esse, Deoque par? Non tantum inquires. Quantum ergo postulas, quietus vt sis & contentus tuò? Nescio sanè inquis. Nescis? neque ego profectò scio scire quî possis, quantum rectè possis velle. Quid ergo conquereris?

*Ha quas  
habes dotes  
conducunt  
ad tuum  
statum.*

Tract. 8.

31. Age vt rem hanc consieiam; in iplo creationis tuæ exordio, concipe non nisi solam voluntatem animæ infusam tuæ; ingenium verò necdum esse distributum: quidquid igitur adhuc es, solum *Voluntas* es. Quod si voluntati tuæ sic constitutæ, omnium quotquot sunt ingeniorum daretur optio & electio, an tibi videris esse is, accommodum tibi ingenium qui seligeres? Quid ni inquires! ego sanè Salomonis vt minimum ingenium animique dotes, ijs meliùs vsurus postulassem. Næ tu profectò magni fueris ingenij, tum cum etiam nullum profus habuisses. An non id dixi, quòd nihil adhuc sis, nisi mera & sola voluntas? quò pacto igitur voluntas sola, potest iudicare quid de Salomonis ingenio aut scientiâ dicendum sit, cum intellectus ingeniumque quo hæc percipiat, voluntati necdum vllum sit assignatum? Quò pacto, inquam, voluntas rectè potest eligere, cum *Eligere*, actus sit eligenda cognoscentis intellectûs; intellectu verò omni

*Neque si  
daretur op-  
tio, alia se-  
ligere po-  
tuisset.*

voluntas adhuc sit penitus destituta? Vides sanè quàm id sit ridiculum.

*Saltem tibi  
conducibi-  
liora quod  
probatur.*

Video inquit, primum ingenium dari mihi debuisse, nec à me potuisse designari aut eligi. Verùm, aliquo cùm iam sim præditus, satis mihi perspicaciæ est vt videam, alios maiori polere ingenio, præstantioribusque præ me dotibus exornatos; Credo sanè. Verùm an id etiam vides, aliena ingenia, & dotes animi, tuo statui magis conuenire, aut tibi pro tuâ conditione magis conducere? id sanè nullus credo, videt. Longe aliud est, præstantius tuò ingenium dari aliquod; aliud verò, tibi quod sit melius. Gladius certè acu præstat aut malleo; an ideo fartori aut fabro gladius præ acu aut malleo, arti quam profitentur exercendæ, est conducibilior? Sed ne dicta repetam, clarissimè id euinco non conducere tibi dotes alias; idque hâc vnicâ ratione. Quodd si iam vbi ingenio es hebeti & ferè nullo, adhuc tamen tuo statu contentus non es, tibi que plura deberi existimas; quid tandem de te statuisses, præstantioribus animi dotibus conspicuis? Quod si iam rudis & stupidus, Dei consilia examinas, imo & condemnas, in quam non perspicacitate ingenij præfidens, audaciam assurrexisses? si iam tam humilis & depressa videatur status tui conditio, si onus tam graue quod illi annexum est, procul dubio ingeniosiori fuisset omnino intolerabile. Rursus cùm sermone tam inficèto iam & insulso, nulloque qui lepore conditur, nusquam tamen te non ingeris, facundiam quâ non vales, ad fastidium vsque putidè ostentas, omnia contemnis, de nemine non obmurmuras; Deus bone, quo non proflixis impudentiæ, facundum tibi si fuisset os, & verò etiam gratiosum. Enimverò non tibi perferendo tellus ipsa fuisset par.

Crede mihi; & dotibus quas natura Deusque contulit, contentus viue. Sufficiunt illæ tibi, vt pro conditione tuâ modestè vitam transigas. Destinato consilio, non alias tibi dedit is in cuius manus erat dare, vt statu tuo continearis, eoque contentus sis: neque verò si maiores habeas, is es, vti ijs rectè qui possis: profuturum quod putas, oneri erit & impedimento. Ingenij sanè habes satis, vt rectè sapias: sapiens autem, si munus tuum officiumque prout debes, rectè expleas. Vt autem hoc ritè sapias, non est quod scientiam maiorem expetas, sed virtutem;

exterior

c. 114

non

non ingenium acutiùs, sed constantiorem voluntatem. Itaque tuo contentus viue, & tum demum viues, & viues placide.

## §. IV.

*Denique vt dotibus tuis contentus sis, eas cum alienis ne compara; nec si maiores tuis in alio compereris, illi inuide.*

34. **V**erùm, quod maximum in hac parte mortalibus negotium faceffit, nec suo viuere contentos finit, est quod alienam felicitatem inuidiâ liuoreque infectis aspiciamus oculis. Vnde tunc nostra nobis incipiunt displicere, dum quod magis placet, in alio comperimus. Placet plebeio homini modica quâ viuit res, donec opes in vicinâ domo conspicit: suum cuique ingenium scientiaque sufficit, dum alienum non attendit; vt autem attendit, turbatur animus, fluctuat mens, tempestas oritur illico maxima.

*Nostras iactas alienis semper cõparamus.*

35. At, quàm id præter rationem est, si mentem aduertas? nonne iam id planè confecimus, fassique sumus, *Vnumquemque proprium donum habere à Deo, vnum quidem sic alium verò sic?* An non tibi ad dimensum liberaliter elargitus est Deus, quidquid ratione bonâ dandum censuit? An non is, qui etiam *uentis fecit pondus*, deditque quæcumque naturæ competebant, benè vt illi foret, tibi non benè pro tua conditione exactèque ad mensus est? quid ergo obmurmuras? Obmurmuras verò, alienis rebus curiosè nimis quod intendas oculos, & quod pessimum est, tuis compares.

*Sed male.*

36. Hoc itaque, si magnâ cum tranquillitate viuere desideras, primum tibi præceptum scias, vt numquam te aliosque inter comparationem instituas: nec si quas habes animi dotes, si quas opes, si quam agendi industriam, si quos supernaturales fauores, si quam virtutem aut leporem, si quam agendi elegantiam, vmquam illa conferas alienis. Verùm vt tibi tecum benè sit, munificoque pro ijs largitori Deo sis gratus, neminè in rerum naturâ esse cogita, præter Deum beneficum, & te beneficij debitorem. Si nulli præterquam tibi valetudo bona, aut illud quatecumque ingenium, dotesque quantumuis tenues concessæ fuissent,

*Hinc si vt pro nostris Deo sumus ingrati.*

sent, quanta te teneret rerum à te possessorum delectatio! ut gratus esses, alijs omnibus præpositus & prælatus! Iam verò ingratum te facit comparatio, displicetque beneficium, quod non tibi soli Deus videatur fuisse beneficium: quasi verò tibi detractum sit, quod alijs pro diuinâ munificentia liberaliter est concessum.

*Sed si tua  
comparare  
vis cum a-  
lienâ, com-  
para om-  
nia cum  
similibus.*

At verò, si nihilominus præfractè comparisonem vis instituere, institue per me licet. Sed omnia æquâ lance ponderentur. Ac primò quidem non ea solum quæ tibi defunt cum alienâ abundantia trutines, sed & quod illum deficit, cum eo quod tibi abundantiori manu collatum est, etiam confer: & tum, si potes, querelas depone; dic sanè defraudatum te. In hoc enim nos fallimus, iniquique trutinatores alienæ felicitatis deprehendimur, quòd mala nostra cum alieno bono conferentes, ex aduerso etiam, nostram felicitatem alienis malis comparatam, non expendimus. Vtrumque igitur appende; & ne Deo sis iniurius, tibi que permolestus, etiam atque etiam expende.

37.

*Et nõ par-  
tem cum  
parte: hoc  
est tua ma-  
la cum a-  
lienâ bonis.*

Deinde, ut hoc sedulò exequaris, non partem conditionis tuæ cum parte, sed totum tuum statum, cum eo quem alter habet vniuersim compares velim, benè ut fiat comparatió. Id namque solum, quod tibi in vicini tui statu & conditione vehementer arridet, arripis; illudque cum eo, quod in tuâ viuendi ratione est molestissimum, ineptè confers. Interim difficultates eas quæ alterius statum prægrauant, non consideras; minimèque tuis, quæ tua tibi fert conditio, commodis æquiparas aut componis? Quid igitur mirum si turbetur trutina vbi res tota male expenditur, nec lances æquâ ratione prægrauantur? Trutinas tu defectum tuum, quodque tibi deest expendis alienæ oppositum abundantia & felicitati: non mirum certè hæc apud te quod præponderet. Sed vicissim id, quo tu superas, eidem impone lanci quâ defectum tuum examinas; alienæ verò felicitati, etiam ea quæ secum fert incommoda, iustus trutinator opponet; & vide sis, an libræ examine hinc & hinc eunte & redeunte, tandem ad justum æquilibrium accuratumque momentum deueniendum non sit.

39.

*Nõ omnia  
bona aut  
mala or-  
nibus dedit  
Deus.*

Sic res aguntur, Mortales. Nemini vni Deus dedit omnia: liberalis ut fuerit, omnia tamen distribuit cum alicuius rei defectu. Et verò ita distributa esse omnia oportuit, ut ante demonstrauimus:

38.

Tra&amp;3.

strauimus : varietas rerum & munerum , humano generi tam necessaria, id exigebat. Attende igitur, donorum à Deo cuique impensorum, in singulis varietatem & differentiam. Illi cui inuides, aut quem tibi prælatum quereris, ingenium magnum dedit Deus, valetudinem verò corporis admodum exiguam; diuitias ingentes, sed caput infirmum; sapientiam non vulgarem, sed vxorem insanissimam; copiosam domum, sed filios impudentes, familiæque futuros opprobrium; dignitatem conspicuam, sed summos qui dignitatibus annexi sunt labores; hæreditatem amplissimam, sed litibus vndique impeditam; donum orationis, sed scrupulorum vexas ingentes, tricasque intolerabiles; plurimum gratiæ, sed & perturbationum haud adeo multò minus. Hæc alijs sic sunt distributa. Tibi verò minùs quidem ingenij datum est, sed quietis longè plus; minor quidem de diuinis mysterijs cognitio & scientia, sed maior erga diuinas res teneritudo & pietas sincerior; minor est familia, sed filij ad virtutem facti; exigua domus, sed vxor placida moribusque tuis accommoda; dignitas non ampla, sed nulla fastidia; conditio humilis, sed valetudo constans; clientum raritas, sed somni tranquilli; mensa non opipara, sed quam fames condat bene constituti stomachi; denique pauper es, sed latus, sed tranquillus, sed curis vacuus. Hæc inquam omnia simul cum alienâ conditione confer, simul expende, & si potes deinceps adhuc conquerere. Quod si tamen pergis molestior esse & tibi & mihi.

40. Dic ergo, an vniuersim conditionem integram quam habes deferere vis, eamque cum alienâ, prout est, integrâ commutare? an tuo derelicto statu, in alterum quantus quantus est, vis demigrare; sic vt bona malaque omnia quæ secum is fert, nullo reiecto suscipias? Quid deliberas? Quid caput obuertis? Quin annuis? Nolles fat scio: neque etiam id velle potes ex conducto: illud enim statuimus, quemque suo statu contentū esse oportere; & suum cuique esse optimum. Quod si igitur statum integrum commutare neque vis, neque verò etiam potes, cur quædam ex alieno vis decerpere, & quidem illa, alienam conditionem quæ componunt, tuæque non conueniunt? Ita sane est. Aliena suspicor nos contemplari, vt ingrati simus, & ne de acceptis videamur Deo gratias debere tantopere, tanta cum aspiciamus no-

O o

bis

*Nolles fortè  
tuum statum  
cum alieno  
commutare,  
aut male  
velles.  
Cur ergo  
partem cū  
parie mis-  
tare vis?*

bis adhuc deesse. Nam vt præclarè D. Saluianus, alienis mente oculisque inhæremus, *Non quia si eligendi facultas esset, semper illa mallems; sed quia vsitatum est hoc humane menti, cum intuetur illa semper quæ desunt.* Defunt autem ad plenam felicitatem omnibus, quàm plurima.

D. Salu.  
1.7. de  
Prou.

Nec D.  
Paulo quos  
habuit à  
Deo fauo-  
res inuides,  
cur inuides  
vicino?

Verùm, vt rem hanc penitiùs vrgeam; dic fodes, an dotes tuas statumque cum Diui Pauli conditione commutare vis? an Euangelium toto orbe disseminare, an ab hostibus vrgeri, an detrudi in carceres, an tertio publicis flagellis excipi, an naufragus toto iactari ponto, an denique capitis condemnari? vellem, inquis, si status id mei ferret conditio. Verùm neque pro concione dicere meæ sunt partes; neque adeò litteris sufficienter imbutus sum, hæc vt audeam: neque ingenium suppetit, studia tanta vt aggrediar. Bene est, sic tecum iudico. Verùm, cur Paulo id quod in suâ conditione felicitatis habuit inuides tu? cur non pateris eum in tertium cælum rapi, isthinc ad labores tam ingentes, animos etiam delaturum. pares? cur non pateris eum qui tanta subiturus est mala, deliciis nonnumquam frui? Patior, inquis; Paulo certè non malè volo, ei non inuideo, neque adeò de illo conqueror. etenim id scio, alia ipsi adiumenta danda, alias dotes, alios longè fauores impendendos esse, vt conditionis suæ partes omnes expleat, quibus ego, vt mihi viuam, non indigeo.

41.

Et si vicini  
inuides,  
certè præter  
rationem  
id facis.

Rectè tulisti sententiam. at verò, hîc te iam teneo. Cur igitur vicini tui commodis inuides & obgannis, cùm ille non minùs *Proprium donum suum à Deo habeat*, quàm Paulus suum? Cùm tecum tacitus loqueris, illud semper occurrit, diuitem esse illum, magno ingenio, litteris excellentem, res ei bene succedere, felicem esse præte. Verùm id etiam cogita, ideo datam esse ei hanc fortunam, has delicias, hæc commoda, vt labores, qui statui eius intercurrunt leniantur & ferendo sint: ideo ingestas opes, potentiam, dignitates, ingenium, eloquentiamque concessam, vt partes suas agat, & verò agat bene. An ergo si in scenam pro decoro inducendæ sunt personæ, rusticas vestes Regem vis induere, senatorias militem, militares vero Senatorem? Aut tu rusticum agere cùm debeas, tuâque parte contentus sis, nihilominus Regia ornamenta, Regem acturo vis detrahere? amens sane sis, hoc si vis, aut illi si succenseas. Quemque suas partes agere,

42.

agere, & parti agendæ conuenientes dotes habere, vt sapias, permitte. Neque quomodo suum munus expleat curiosus quære; tibi id non sit curæ, tuâ quod non interest. Si benè res suas agat, ideo fortunare illi vitam scias Deum, vt bene agere perseueret: sin verò perperam agit & peruersè; vt per beneficia rebellem sibi demolliat; aut certè vt quædam, quæ rectè malus cùm sit egit, hic ei compenset opera, supplicia æternitati referuaturus.

43. Quidquid sit, illud est certissimum, dotibus illis sublimioribus, maiorique ingenio non indigere te, vt rem tuam agas, neque vt plebeiam vitam ducas, neque vt pensa trahas, neque vt colum obuoluas, neque vt textrix incumbas, si istæ tuæ sunt partes; neque adeo, vt orationi vaces, & Deo placeas. Non multâ memoriâ opus est, vt memineris à Deo esse te quod es; illudque tibi longè optimum esse quod es. Hoc tibi planè persuasum habeas, non minùs Deo gratam esse simplicitatem tuam animique hebetudinem, quam præcipuorum in orbe capitum acutissima ingenia; neque minùs Numini arridere humilitatem abiectionemque tuam, quàm doctiorum elatas voces; neque adeo minùs exaudiendum te, vulgari minimeque sublimi plebeiorum orandi methodo cum insistis, quàm si altissimarum rerum plenis Deo supplicas argumentis. *Sufficis tu Deo*, inquit D. Cyprianus, itaque *sufficiat tibi Deus*. Sufficiat, inquam, quod tibi dedit Deus: dedit enim quod sufficeret. Simplicitas hæc, altissima Theologia est simplicis vt sese appellat Thomæ à Kempis. Is piè ad Auctorem suum conuertens animum, *Omnia ex te*, inquit, *& ideo in omnibus laudandus*. Quò pacto id consequitur? nimirum quia is est Deus, errare qui non possit: iam vero *Tu scis quid unicuique donari expediat; & cur ille minus, ille habeat amplius, non est nostrum sed tuum hoc discernere, apud quem singulorum definita sunt merita*.

*Neque alienis dotibus, in statu tuo indiges.*

D. Cypri.  
de Alcen.  
Dom.

Thom. à  
Kemp. l. 3.  
de Imit.  
c. 12.

44. Hæc summa demum sapientia est; præter quam, alias mihi tibi que deesse, libens patiar. Scio, si præstantiores animi dotes mihi contulisset Deus, iis ab usurum fuisse me, aut saltem pro dignitate, Dei que honore eas non impensurum. Si magis ab ingenij scientiarumque excellentiâ orbi fuisset conspicuus, animos plus quàm par est, & superbe nimum extulisset; damnationi parandæ fuissent instrumenta dotes illæ, aut saltem maioris sanctitatis

*Igitur tuò gaude.*



ctitatis procurandæ impedimenta. si in rebus agendis maior mi-  
 hi fuisset industria, maioribus etiam implicandus eram labori-  
 bus & tædiis, nam *in multâ sapientiâ, multa est indignatio; &* Eccl. 1.  
*qui addit scientiam addit & laborem,* vt rectè admonet experi-  
 tiâ doctus Salomon. Itaque sic sint omnia, pro vt sunt. Si alio  
 plus acceperim, plura habeo quæ rependam Deo; si minus, mi-  
 nus habeo quod respondeam, aut de quo rationem dem. *Omnia*  
*ex te magne Deus, omnia ex te Sapientia infinita, & ideo in om-*  
*nibus laudandus.* Tam laudandus ob id quod habeo, quam quod  
 non habeo, aut alius habet præ me. Meo ego contentus viam;  
 & quod mearum est partium sedulo exequar. Fructus quos mea  
 tellus fert, meum ingenium, mea hebetudo, mea simplicitas, ac-  
 curabo vt ad maturitatem excrecant. Lætus interim tibi & ex  
 animo gratulor immense Deus, alias esse sublimiores mentes,  
 quæ tibi obsequia præstantiora deferant; alios esse in cælis Ge-  
 nios, qui profundius te cognoscant, intimius ament, & verò et-  
 iam laudes, tanto Numini conuenientes, pro dignitate decan-  
 tent. Hoc tibi, donec Angelicis iungar choris, pro tenuitate  
 meâ simplicitateque supplex decantabo; *Deus meus es tu, in mâ-*  
*nibus tuis sortes mee.* Interim Tuus viuo, & Tibi viuo. Psal. 30.

Ideo & de  
 alienis do-  
 ribus Deo  
 gratulare.



TRACTA-